



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 35. Ecclesiæ Catholicæ dogma de Indulgentiis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.
A. C. 1517.

& liberationem a flammis purgantibus, si eleemosynis suis rite hæc indulgentias lucrari conarentur. Verum piis Papæ consiliis obfuit suorum Prædicatorum, præcipue Tetzeli imprudentia, cum interea aueretur factio Lutheri, qui in ejusmodi condonationis gratiam invehit, ac tumultuari non desistens, ingentem sibi Auditorum numerum temeritate sua conciliabat.

§. XXXV.

Ecclesiæ Catholicæ dogma de Indulgentiis.

Ceterum tam Lutherus, quam Papæ Præcones Ecclesiæ definitiones transgrediebantur, & quidem illi ultra modum indulgentiarum vim exaggerando, Lutherus vero eas enervando; ambo igitur Ecclesiæ dogmati circa hunc articulum injuriam irrogabant. Docet enim *Concil. Trid. Sess. 25. cap. 1* Ecclesia Catholica, quod potestas conferendi Indulgentias, a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, earumque usus Christiano populo maxime salutaris Sacrorum Conciliorum auctoritate probatus in Ecclesia retinendus sit. In his tamen concedendis moderatio, juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhibeatur, ne nimia facilitate Eccle-

Ecclesiae disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendentur, atque corrigantur, hinc pravi quaestus omnes pro his consequendis omnino aboleantur, si quos per Commissariorum infidelitatem sub obtentu indulgentias promulgandi admitti contigerat; quapropter Episcopi abrogare teneantur corruptelas, quae ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque proveniant; ut abolitis abusibus sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur; nulla prorsus mercede accepta, ut tandem caelestes hos Ecclesiae Thesauros non ad quaestum, sed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant.

Præterea Pontifices Ecclesiae mentem assequi magis solliciti, immodicum indulgentiarum desiderium, quod non raro vel ex ignorantia, vel fidelium ignavia processerat, moderari studebant, ne, inquit Bellarminus, poenitentiae studium extinguatur, Ecclesiae disciplina enervetur, ac peccata per proprias satisfactiones, quarum indulgentiae non nisi supplementum sunt, debitum poenae compensantes expiandi obligatio aboleatur. (*)

§. XXXVI.

(*) Hæc in Bellarmino desiderantur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1517.

Idem Sess 21.
de reform.
c. 9.

Bellarmin. de
Indulg. l. I.
cap. II.